

dumtaxat prolem voluisset designare, sat fuisse accepta à stellis, vel à pulvere comparatio. Reor ea propter magnum futuræ turpis discrimen demonstratum; eorum videlicet, qui terrenis bonis adherentes, toti terreni sunt, & tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ: & eorum, qui rebus intenti cælestibus cælestes sunt, & stela ad instar cæli à telluris squalore sejuncti. Sic erit semen tuum. Sic erit (ait beluissimè Philo in lib. Quis rerum humanarum hæres) sicut quod vides in aethere, sic cæleste, sic umbra carens, plenum splendore purissimo (nam neque in celo nox locum habet, nec in virtute tenebræ) dispositum ornatissimi immoto manens ordine, semper sui simile. Quid ad rem nostram accommodatus? Terra eris, & levi terræ pulvisculo similis, si terrena cures, & mundialia: cælum eris stellato similis sine terræ umbra, totus superno lumine nitens, si cælestia inquiras, & æterna, vir, uti incumbens. Argutè Origenes Hom. 5. in Hieremiam: Si ad peccatores dicitur, Terra es, & in terram ibitis; quare non dicitur ad justum, Cælum es, & in cælum ibis?

Philo.

Origen.

Cellensis.

Hic excribo, ut tu expendas, verba Petri Abbatis Cellensis ex libro de Conscientia, ubi qua ratione reddatur homo cælum ornatissimum, sic eleganter explicat: Efficitur cælum per inhabitantem Spiritum ejus, qui fecit cælum & terram, & habitat in cælis. Hæc tria, scilicet Verbum, Dominus, & Spiritus oris ejus, creant, formant, & ornant cælum conscientie. Dominus timore suo conscientiam creat; Verbum Domini instructione sapientie confirmat; Spiritus oris ejus, donorum varietate exornat.

SECTIO XLVII.

Sublimior Principum Majestas tunc maxime proditur, cum subditorum emolumentis inserviunt. Ubi de Eucharistia, regio beneficentissimi famulatus epulo.

Deus à calo ad terram demissus, nostris ut serviat commodis, & magnus appareat. Clem. Alex.

Steuchus.

Isai. 9. 6.

Christus nobis natus est modis.

1120 Rex ipse Regum, & Dominus dominantium Deus in altissimis habitare dicitur, & nihilominus thronus ejus in columna nubis ad terras demissus apparet: à qua totus sit quotidianis gradientus per desertum populi commodis intentus, ac deserviens: ut enim fuscè supra statuimus in textus enodatione, humanitatis gratia, ancilla instar, sequebatur nubes; quomodo loquitur Clemens Alexandrinus ad Gentes. Opportunè quidem & moralissimè, altissimus cælorum habitator, & excelsa ejus Majestas demonstrantur, cum ad terras demissus solum ponit in columna nubis suis famulante Israelitis. Nónne tibi videtur sic satis superque humanos Reges, ac Principes edoceri, eò vel maxime sublimiorem illorum Majestatem & potentiam prodidi, si subditorum emolumentis incumbant, & inserviant, quasi eorum corona nobilis servitii character sit? Ut enim pulchrè, ac verè Steuchus in Cosmopæia, Rex statuitur populi ductor, Sicut columna in deserto ductavit Hebræos.

1121 Illustrissimum extat de Christo Domino, ejusque potestate, & regnato vaticinium, aptud Isai. 9. v. 6. Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis: & factus est principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuræ sæculi, princeps pacis. Haud du-

bium est, totum describi nostris commodis deservientè; totum erga suos liberalem. Natus est nobis, datus est nobis, (ait Bernard. Hom. S. Bernard. 3. super Missus est) nobis, inquam, non sibi. Et Ser. 3. de Circumcisione: Totus mihi datus, & totus in meos usus expensus est. Sed compone illud parvulus natus est nobis, & illud vocabitur Deus fortis: hebraicè gibor, id est, gigas Deus. Etenim si parvulus natus est, unde tantum, tanta regis incrementum è parvulo in gigantem? Oitendit subtiliter Tertull. lib. 2. contra Marcionem: Deus tunc maxime magnus, cum homini parvulus. Parvulo Deo indigebamus in nostris usus, & commoda; cum autem parvulus nobis natus, datusque est, tunc maxime ejus potestas & Majestas in giganteam molem excrevisse visæ sunt. Scire cupis idoneam hujus regie magnitudinis mensuram? Metire ejus beneficentissimam in homines largitatè ab Isai illicò commendatam: Et factus est principatus super humerum ejus. Aquila legit: Et facta est mensura in humero ejus. Non alienis humeris, ut Tyranni solent, sed suis: imponet regni pondus ingenti cura, & labore usque ad sanguinis effusionem, & vitæ dispendium pro snorum emolumentis, & incolumitate. Ecce idoneam regie Christi Majestatis mensuram: cruce scilicet (ut Tertull. & alii explicant) per quam subditus opem tulit, & in libertatem aseruit. Beneficentia enim Principum in suos mensura est, à qua metiri debemus sublimiorem eorum Majestatem. A la medida de sus beneficios es un Principe grande, o pequeño.

Tertull.

E parvulo magnus gignitur proditur nostris utilitatibus.

Isai. 9. Beneficentia est mensura sublimitatis.

Tertull. lib. 3. contra Marcio.

1122 Lucae 23. 42. Christum è Cruce pendentem patibulatus sic latronum alter rogabat: Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum. Regem Jesum agnoscit, & confessus est. Quid quæso Christum tibi magnum Regem demonstravit? Nónne similem tecum miseriam sustinet ille? Quid passio isthæc commune habet cum sublimissima regnantis Majestate? Luculenter aperit S. Ambros. Serm. 44. Mira res! latro honorificat patientem. Ait enim: Memento mei Domine cum veneris in regnum tuum. Hæc est fidei plena devotio, ut cum morti addictus putatur, tunc Regis illi honorificentia deferatur. Intellexit enim quid pro alienis peccatis has plagas susciperet, pro alienis sceleribus hæc vulnera sustineret: & scivit quod illa in Corpore Christi vulnera non essent Christi vulnera, sed latronis. Ex uberi igitur erga omnes beneficentia supremo illustratus lumine deduxit latro sublimiorem Christi regnum, & Majestatem. Agnovit Jesum totum aliis natum, aliis viventem, à patibulo patientem & morientem, aliis denique ex officio impensum, & de sua felicitate cunctos felicitatem perenni beneficentie largitate. Unde opportunissimus, ac veridicus sublimissimi regni Domini panegyrista extitit. Tunc tunc quidem aliquis principatur & sublimioris in fastigi Majestatem prodit, cum subditorum commoditatibus inservit. Pulchrè hinc Chrysofomus in Homilia 2. de Cruce & latrone: Dic mihi, regnum commemoras? quid enim regni vides? Clavi, & crux est quod inspicis. Sed ipsa Crux, inquit, regnum est, & ideo eum Regem nomino quia crucifixum inspicio. Imperatorum est pro omnibus mori, & Regis optimi, pro communi utilitate nunquam recusare supplicium. Quid luculentius? His adnecte, & expende pulchra S. Leonis verba Serm. 10. de Passione, ubi Christum

S. Chrysof.

S. Leo.

Genes. 1. 16. Sol Rex est à famulante sua beneficentia.

VDW

Plinius.

Regis cum Sole comparatio.

Agapetus.

Regnum ferid repulit qui subditorum commodis non poterat inservire. Isai. 3. 7.

Josephus à beneficentia in subditos Rex proclamatur.

Genes. 41. 42.

Christum de cælo præsentem in terris Regem commendat ex larga illius in omnes beneficentia: Cæcis visum, claudis gressum, surdis auditum, mutis præstat eloquium. Febres abegit, dolores resolvit, mortuos resuscitavit. Magnum prorsus Regem ista demonstrant. Christi ergo præsentia, sit terrenæ præfecturæ norma, & sublimioris Majestatis idea.

1123 Genes. 1. 16. die mundi quarta fabricasse Deus dicitur duo luminaria magna, luminare majus, ut præset diei, & luminare minus, ut præset nocti. Augustissimis Sol regis, & Luna reginæ vocabulis, & solis decorantur. Ast, rogo inprimis, unde Sol regio præsentia titulo donatur, ac regia niter Majestate? Utrique à famulante beneficentia, qua omnibus famulatur, omnia illuminans & fecundans munificis influxibus, elementa, metalla, stirpes, animantes, humanumque corpus. Hinc Solis nomen semes apud Hebræos nonnulli argutè deducunt à verbo Chaldaico samis, quod ministrare significat, dum enim Rex præficiunt, minister est, quia rebus omnibus ministrat, & nobis operantibus quasi faciem præfert. Hic (ait Plinius solem commendans lib. 2. cap. 6.) lucem rebus ministrat auferque tenebras: hic cali tristitiam discutit, atque humani nubila animi serenat: hic suum lumen cæteris quoque sideribus fænerat, præclarus, eximius. Certè inde præclarus, inde eximia Majestate nitens ab irrequero famulatu, & infatigabili cursu, perennique influxuum munificentia in subiecta sui corpora. Moralissima utique hæc sunt: pervia enim est apud scriptores sacros, & prophanos, Regis cum sole comparatio. Ut noverit ipsi, expressum nullum regie Majestatis, & magnificentie testimonium reperiri, quam eorum in subditos beneficentia, sine qua mane est sceptrum, inanis corona, inane solum. Unum audi Agapetum Diaconum de Officio Principis: Solis (inquit) profectò partes sunt, illustrare radiis orbem: Principis vero virtus est, egenorum misereri. Porro Sole ipso clarior est Imperator, qui pius est.

1124 Isaiæ 3. 7. cum quidam è populo Judaico in extremam redactò calamitatem ad regium solum esset exquisitus, & quodammodo coactus, consultissimè oblatum sibi repulit dominatum, eà solum fultus ratione: Non sum medicus, & in domo mea non est panis, neque vestimentum: nolite me constituere Principem populi. Vatablus observat, Hebræam vocem pro medicus positam, Regem significare: non ero Rex. LXX. vertunt, non ero princeps. Chaldaeus, non sum dignus, ut sin caput, aut Princeps. Nam in domo mea deest panarium, deest vestiariarium, deest aerarium; desunt ad victum & vestitum necessaria, ut subditorum commodis prudenter inserviam: desunt proinde primariæ Regis partes, quæ primò & maxime sublimissimam ejus majestatem evulgant, & probant. Nolite ergo me Regem constituere.

1125 Genes. 41. 43. ut Josephus præ regni optimatibus universis totius Ægypti Prorex constitueretur, regio Pharaonis curru extollitur, regio habitus & ornatu conspicuus ad ostentationem majestatis & gloriæ, interim clamante præcone: Ut omnes coram eo genuflecterent, & propositum esse scirent universe terre Ægypti. Pro priori hemistichio, Hebraicè una vox ponitur abrech, quæ nonnullis est flecte genua, aliis verò tener Pater: Chaldaeo, hic est Pater Regis. Thargumæo, vivat Pater. A. de Floras in Eccles.

ter Regis, Princeps in sapientia, & tener in armis. Reor tamen (ut aliquid addam nostro peropportuno instituto) abrech perinde esse sermone Ægyptio atque benedic, à radice barach, id est, benedicere, gratias agere, imò & pascere, vel cibare, quia ex sacra Scripturæ usu benedicere, cibare est, & benedictio cibus. Unde Abigail cibaria Davidi offerens aiebat 2. Reg. 25. 27. Suscipe benedictionem hæc, quam attulit ancilla tua tibi. Et 27. Pl. 144. 17. Aperis tu manum tuam, & imple omne animal benedictione. Et bellè favet huic existimationi contextus; nam v. 40. ejusdem capituli dixerat Pharaò ad Joseph: Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet. Hebraicè, cibabitur, Tigurina, cibum capiet. Nimirum ex his apparet unde Josephus totius Ægypti Princeps evulgatus, & probatus; unde tanta in eo majestas respendit: certè non aliunde quam à beneficentia in subditos, quibus largam administravit annonam. Atque hinc spectat manipulorum somnium, de quo Genes. 37. 7. Videlicet ostendebatur imperium Josephi splendidissimum in Regem præficiendi ubi necessarium ad victum suppeditationem.

1126 Joan. 6. vix Christus Dominus sua illa miseratione tactus, solerter cibaverat copiosam hominum turbam; & ad beneficentiam probationem ultra indigentium necessitatem cibos illis subministraverat, cum ecce tibi cibati homines attentam Christi erga alendos subditos providentiam contemplantes, eum ad regni fastigium evehendum deliberant. Jesus ergo, cum cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent Regem, fugit iterum in montem ipse solus. Opportunè quidem Christum Deum regis dignissimum sublimitate existimant, quandoquidem alimenta eis ministraverat. Ut enim venerabilis Beda in Catena S. Thomæ; Turba viso tanto miraculo, intellexerunt pium, atque potentem, & idcirco voluerunt ipsum facere Regem. Quasi tunc maxime regia majestas respicenda, cum subditorum necessitatibus inservitur.

1127 Hinc jam Eucharistia, regalis beneficentia, & Domini famulatus epulum appellanda; nulli enim regia Christi majestas splendidius se prodit, quam in hac mensa Eucharistica, ubi ipse seipsum in cibum exhibet deservientem uniuscujusque voluntati: atque ita se esse totius orbis Principem facile evulgat & probat subditis alimenta ministrans. Est hoc, quod Propheta Rex præcinebat Pl. 22. 1. Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascua ibi me collocavit. De Eucharistia convivio non pauci interpretantur. Sed preme illud, Dominus regit me. Hebraicè, pascit me: vel Dominus Rex meus, aut pater meus. Chaldaeus; Dominus pavit populum suum in deserto: manna nempe certo Eucharistia typo. Sanè inde Rex, unde Pastor, quia scilicet largè de necessariis ad subditorum sustentationem providet, & se alimentorum præbitorem exhibet, idoneam semetipsum cibatorem erogans. Quò revoces ea Isaiæ verba cap. 33. de viro multis florente virtutibus loquentis; Panis ei datus est, aque ejus fideles sunt. LXX. vertunt, panis ei dabitur, ut sit vaticinium de Eucharistico pane & potu ritè dispositis erogando, quomodo interpretantur S. Justinus Martyr contra Tryphonem, Procopius, Cyrillus, &

1. Reg. 25. Et 27. Pl. 144. 17.

Genes. 41. 40.

Gene. 37. 7.

Regno dignus putatur Christus, cum homines cibant.

Joan. 6.

S. Thom.

Pl. 22. 1.

Isai. 33. 16.

& alii in Isaiam. De quo noster Turrianus in libello aureo de Eucharistia tract. 2. cap. 32. Subtexit Vates deinde opportunè: Regem in decore suo videbunt. Quasi dicat; Tunc vel maximè, se ipsum Christus in victum suppeditando, regio eximie glorie splendore fulget: ipsamet subditorum passio eum esse Regem evulgat, & probat.

1128 Expende quid vehementer exoptet Catholica Ecclesia Cant. 1. 1. Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino fragrantia unguentis optimis. Reor desiderium hoc esse, Verbum divinum ut à sinu Patris dilaberetur, carnemque assumeret, carnemque suam & sanguinem in verum cibum ac potum hominibus erogaret, eorum desideriens necessitatibus. Sic S. Ambrosius lib. 5. de Sacramentis cap. 2. Quid est altare (ait ille) nisi forma corporis Christi? Vidit sacramenta mirabilia, & ait: Osculetur me osculo oris sui: hoc est, osculum mihi Christus insigat. Quare? Quia meliora sunt ubera tua super vinum: hoc est, meliores sensus, meliora Sacramenta tua super vinum. Et quidem vox Hebræa posita pro osculetur, potum dare, seu potare significat, ut eruditè observat Tuccius Annotatione 1. in Cantica, ubi ita subdit: Potum dabit mihi amor meus, sicut qui pocula ministrat, & cyathos; quia Deus homo factus, pro me passus, suum calicem mihi præbebit, jubens me & potare suum sanguinem, in quo per concomitantiam caro ejus, & ossa sunt, & anima & divinitas. Fit, ni me fallo, allusio ad ministrantes in convivio pocula, qui pueri erant ornatissimi, à quibus convivæ osculabantur pocula expicientes in signum subjectionis, ut patet ex Horatio lib. 2. Saty. ultima, & Plauto in Persa. Ecclesia ergo fastidiosi oscula ministrantium, ad sponsum Christum convertitur, petitque ab eo, ut poculum Eucharisticum ministraret & oscula sic ei insigat. Quid verò subinde? Vixdum poculum & oscula, ministrantem sponsum intuita est, cum lætabunda exclamat: Oleum effusum nomen tuum. Certè his verbis regalem Christi magnificentiam, & supremam majestatem commendari existimo, non aliunde quam à regio beneficentissimi famulatus Eucharistici epulo. Ut enim eruditè de more suo noster efficit Paulus Serlogus Vestigatione 3. in Cantica Sect. 1. sub olei effusi metaphora sponsum Regem esse sponsa affirmat, Christum illum appellans, id est, unctum, sive Biblicè phrasi Regem; uti claret ex Judi. 9. 8. & 1. Reg. 12. 3. & cap. 26. 23. De quo etiam noster Pineda lib. 5. de Salomone c. 4. Unius Lactantii accipe effatum. Lactanti. Christus non proprium nomen est, sed nuncupatio potestatis & regni: sic enim Judæi Reges suos appellabant, &c. Cumque effundendi dictio largitatem Christi maximam innui Didymus annotaverit lib. 1. de Spiritu sancto post medium; dicendum censeo, ex larga atque Eucharistici epuli abundantia qua Jesus subditis suis divinus sponsum alimenta, & pocula ministrat, Regem appellari, ac regiam eius magnificentiam evulgari?

SECTIO XLVIII.

Qui aliis præsunt, portare debent, non portare: portent suorum onera.

1129 Sententiosè dicitur cælestis Rex thronum in columna nubis habere, quæ eò

ubique spectat, ut ædificii sustineat molem, ut portet, nec portetur; cum intuitu ad columnam nubis, sub cuius specie Deus ipse gradientes per desertum Israelitas deducebat & portabat Deut. 32. 11. Atque ita Ecclesiastici verba Raban. explicat Fuldenis Abbas: Et aptè dicitur incarnatio Salvatoris, columna, quia totum ædificium Ecclesia sua ipse portat, atque sustentat. ut noverint qui aliis præsunt, datam sibi præfecturam, non ut portentur à subditis, sed ut ipsi onera portent subditorum.

1130 Et ut ab ipso Regis, seu dominatoris nomine incipiamus, observari licet, Adonai voce, quæ Græco Regis vocabulo βασιλεύς, significari basim, aut fundamentum, cui alia innituntur. Unde Principes in sacris Scripturis fundamenta terræ appellantur Pf. 81. 5. Mo. 31. 5. Michæ. 6. 2. vebuntur omnia fundamenta terræ. Et Michæ. 6. 2. Audiant montes iudicium Domini, & fortia fundamenta terræ. Et Job 9. 13. dicuntur portare orbem; tanquam basis, & sustentaculum populi, ut observat ibi S. Gregorius, quia scilicet terra, Princeps super se populum sustinet. Hinc Hebræicè Princeps dicitur nasi, id est, portator, bajulus, populi ac reipublicæ; certè non absque magno nominis sacramento, & documento; nimirum qui aliis imperant, basis, fundamenta, & columna vocitantur, quòd sui muneris est ferre subditorum onera, ærumnas, infortunia, calamitates.

1131 Genes. 12. 7. apparuisse dicitur Deus Abrahamo, & illi, ac posteris ejus promississe terram Chanaan, cui ipse primus exinceps præficitur Princeps, ac Dominus. Sed ubi, quæso, facta hæc promissio? Preme verba textus; Cumque venisset ad eam, pertransiit Abram terram usque ad locum Sichem. In loco Sichem Princeps promissi regni inauguratur, arcanissimè planè; nam Sichem, juxta vulgare hujus vocis interpretationem, significat humerum suum, Ambrosio id observante lib. de Abrahamo c. 2. Sichem Latina interpretatione dicitur humerus vel cervix. Quod tametsi S. Doctor tropologicè referat ad expromptam Abrahamæ obedientiam, cui humerum supponit suum, peropportunè satis dixeris, eam seu illius circumstantiâ Abrahamum nuper Principem præfectum admoneri, uti & reliqui aliis imperantes, humeris cervicibusque roborandos ut suorum onera sustineant juxta muneris sui præscriptum.

1132 Proverb. 8. 23. de Sapientia Incarnata illud habes: Ab eterno ordinata sum. Hebraicè nasach, id est, principatum habui, vel princeps aut Regina inaugurata sum. Rodolphus, coronata sum. Vides constitutum Regem Christum? Attentè nunc preme LXX. translationem: ante seculum fundavit me; aut sum data sum: vel fundamenti ad instar præjecta sum: ductâ metaphorâ à fundamentis, quibus totum incumbit ædificium. Quæ autem onera Christus Rex sustineat, scitè explicat S. Athanasius Ser. 3. contra Arrianos: Quantum ad humanitatem fundatur, ut nos super illum veluti pretiosi lapides in edificemur, efficiamurque templum inhabitantis in nobis Spiritus sancti. Hinc illa Dei promissio apud Isaiam 28. 16. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum. Quasi dicat: Christum esse ab æterno ordinatum ut sit stabile Ecclesiæ fundamentum, cui tota ædificii moles inni-

S. Ambro.

Tuccius.

Unde perinde ac Rex.

Lactanti.

Christi nomen est potestatis, & regni nomen.

Columna sustinet totum Ecclesia adstantens.

Rex basis & fundamentum populi.

S. Greg.

Genes. 12. 7. Cum Abram inauguratur, ut humerum suum oneri adnotetur.

Prov. 8. 23.

Christum principem constitui, ac veluti fundamentum poni idem.

S. Athan.

Isai. 28. 16.

imitatur, atque ita Princeps constituitur, cuius est subditorum onera ferre. Quod luculenter expressit idem Vates cap. 9. 6. Factus est principatus super humerum ejus. Et cap. 53. 4. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.

1133 Christus Dominus Cruci suffixus, antequam expiraret, sacrum inclinasse caput dicitur Joan. 19. 30. Et inclinato capite tradidit spiritum. Ast quorsum isthæc capitis inclinatio? Nonne mortalium omnium proprium est, prius ultimum vitæ Spiritum emittere, deinde caput flectere? Arcanissima extitit illa capitis inclinatio, de qua multa multi. Sanctus Chrysof. Hom. 34. in Joannem argutè ostendit, eâ portendi absolutum Christi dominium in creaturas universas. Atqui non post inclinatum caput expiratur, sed post expirationem caput inclinatur: hic autem contrariè accidit; per quod ostendit eum Evangelista esse omnium Dominum. Quod eo signatim tempore mirificè evulgabat parentissima illa supra Crucis verticem inscriptio: Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam: Hic est JESUS Rex Judæorum. Matth. 27. 37. Cæterum quid, quæso, commune habet ea capitis demissio immediatè ante mortem cum absolutio rerum omnium dominio, & regia dignitate? Multum planè. Quippe agnoscebat Christus suum in omnes homines dominatum, ac fe omnium Regem in ipso mortis articulo acclamari: ut verò ostendat, eò maximè spectare suum in omnes principatum, & aliorum in alios præfecturam, ut subditorum onera portent, caput inclinat, humeros ferendo oneri supponens. Sic Hugo Cardinalis delicatè excogitasse visus est. Inclinato capite (ait ille) quasi supponens humerum ad portandum nos, & onera nostra. Ac si dicat: Caput inclino, ut videatis me paratum ad onera vestra portanda, & ponatis ea super me. O verè hominum Rex! o præclarum gubernantium documentum! Theophrastus putat, Christum eâ capitis inclinatione ostendisse, quòd ipse fuerit Dominus mortis. Unde addiderim, caput in suæ mortis clausula inclinasse, ut sic ostenderet vel ad subjectæ sibi mortis onera portanda humeros supposuisse; uti ipsius mortis Dominus. Nonne mortis sarcinâ gravabatur, qui mortem subibat, mortisque dolores?

1134 Eliam igneo cælum versus ascendentem curru his clamoribus sequebatur Elisæus: Pater mi, Pater mi, curru Israel, & auriga ejus. 4. Reg. 2. 12. Et currum, & aurigam illum appellat. Esto Israelitici populi auriga, qui eum consilio, prophetia & precibus gubernabat. Ut enim David Ps. 65. 12. Imposuisti homines super capita nostra: Hebræicè; equitare fecisti, id est, regnare, ut explicat Euthymius. Et Ps. 44. 6. Intende, prospere procede, & regna. Hebræicè, vehere, inequitare, inside. Ast quorsum illum vocat currum, seu vehiculum? Quomodo benè sibi coherent, currum pariter esse, & aurigam? Putaverim optimi gubernatoris munia utraq; illà appellatione fuisse ab Elisæo demonstrata. Scilicet qui aliis præest, & auriga debet esse in eorum regimine, & currus, qui subditorum onera portet. Sic luculenter S. Gregorius lib. 2. in Ezech. Hom. 21. Quid est, fratres Charissimi, quòd Elias currus & auriga Israel dicitur, nisi quia auriga agit, currus portat? Doctor ergo, qui mores populi & per patientiam sustinet, & sacri eloqui verbum docet, & currus dicitur, & auriga. Currus, quia tolerando portat; auriga, quia exhortando agit: currus, quia mala sustinet, auriga, quia populum bonis admonitionibus exercet.

1135 Eximiè illustratur Iummus Hebræorum Antistes pontificio vestitu, & ornatu pretioso & multiplici. Inter alia sacri principatus, & ministerii ornamenta, illud arcanissimum, de quo Exod. 28. 9. Sumes duos lapides onychinos, & sculpes in eis nomina filiorum Israel: sex nomina in lapide uno, & sex reliqua in altero. Et pones in utroque latere super humeralis; portabitque Aaron nomina coram Domino. Ecce Israelitarum nomina lapidibus inscripta humeris portantur Pontificis? Consultissimè omnino: videlicet, ut Prælati sciant, & quicumque aliis præficiuntur, sui muneris esse proprios subjicere humeros subditorum oneribus. Ut enim Arnouldus de 7. verbis: Eorum onera ipsum lege officii sui ferre necesse est. S. Isidorus lib. 1. cap. 26. Honor ex onere venit, aut potius de honore onus. Et Seneca de Tranquill. cap. 2. Est illa inter onus & honorem non tam allusio, quam rei ipsius expressa veritas. Quod Paulus dixit 1. ad Timot. 3. 1. Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: id est, bonum onus: Quo todo cargo es carga, y bien pesada. His adde quod 3. Reg. 7. 23. scribitur de mari æneo: Fecit mare quoque fusile, &c. & stabat super duodecim boves. Quid hoc? Nullus ignorat, aquas esse populos & gentes Apoc. 17. 15. Boves ergo (ut Nilus exponit in lib. Ascet.) sub pelvi declarant eos, qui subeunt onus ejusmodi, non respicere, nec aversari debere, sed onera & sordes inferiorum perferre. Usque ad eò Prælatorum, ac Principum proprium est humeros supponere oneribus subditorum,

4. Reg. 2. 12. Elias auriga, & currus, quia regis & portat.

Verf. VIII.

Gyrum cæli circuivi sola, & profundum abyssi penetra- vi, & in fluctibus maris ambulavi, & in omni terra steti.

ARGUMENTUM.

Immensitas infinita.

1136 Qui regiâ majestate pollent, omnia impleant, sintque ubique, necesse est. Suam ergo hic immensitatem opportunè dilau- P. Idelph. de Flores in Eccles.

nabat. Ut enim David Ps. 65. 12. Imposuisti homines super capita nostra: Hebræicè; equitare fecisti, id est, regnare, ut explicat Euthymius. Et Ps. 44. 6. Intende, prospere procede, & regna. Hebræicè, vehere, inequitare, inside. Ast quorsum illum vocat currum, seu vehiculum? Quomodo benè sibi coherent, currum pariter esse, & aurigam? Putaverim optimi gubernatoris munia utraq; illà appellatione fuisse ab Elisæo demonstrata. Scilicet qui aliis præest, & auriga debet esse in eorum regimine, & currus, qui subditorum onera portet. Sic luculenter S. Gregorius lib. 2. in Ezech. Hom. 21. Quid est, fratres Charissimi, quòd Elias currus & auriga Israel dicitur, nisi quia auriga agit, currus portat? Doctor ergo, qui mores populi & per patientiam sustinet, & sacri eloqui verbum docet, & currus dicitur, & auriga. Currus, quia tolerando portat; auriga, quia exhortando agit: currus, quia mala sustinet, auriga, quia populum bonis admonitionibus exercet.

1135 Eximiè illustratur Iummus Hebræorum Antistes pontificio vestitu, & ornatu pretioso & multiplici. Inter alia sacri principatus, & ministerii ornamenta, illud arcanissimum, de quo Exod. 28. 9. Sumes duos lapides onychinos, & sculpes in eis nomina filiorum Israel: sex nomina in lapide uno, & sex reliqua in altero. Et pones in utroque latere super humeralis; portabitque Aaron nomina coram Domino. Ecce Israelitarum nomina lapidibus inscripta humeris portantur Pontificis? Consultissimè omnino: videlicet, ut Prælati sciant, & quicumque aliis præficiuntur, sui muneris esse proprios subjicere humeros subditorum oneribus. Ut enim Arnouldus de 7. verbis: Eorum onera ipsum lege officii sui ferre necesse est. S. Isidorus lib. 1. cap. 26. Honor ex onere venit, aut potius de honore onus. Et Seneca de Tranquill. cap. 2. Est illa inter onus & honorem non tam allusio, quam rei ipsius expressa veritas. Quod Paulus dixit 1. ad Timot. 3. 1. Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: id est, bonum onus: Quo todo cargo es carga, y bien pesada. His adde quod 3. Reg. 7. 23. scribitur de mari æneo: Fecit mare quoque fusile, &c. & stabat super duodecim boves. Quid hoc? Nullus ignorat, aquas esse populos & gentes Apoc. 17. 15. Boves ergo (ut Nilus exponit in lib. Ascet.) sub pelvi declarant eos, qui subeunt onus ejusmodi, non respicere, nec aversari debere, sed onera & sordes inferiorum perferre. Usque ad eò Prælatorum, ac Principum proprium est humeros supponere oneribus subditorum,

S. Grego.

Prælati suos subjiciant humeros portandis subditorum oneribus. Exo. 28. 9.

S. Isidor. Honor ex onere venit. Senec.

1. Tim. 3.

3. Reg. 7. 23.

Apoc. 17. 15.